



Q. B. V.

De

TITULO PONTIFICIS R.
SERVI SERVORUM

Schediasma Historicum

PRO LOCO

IN

ILLUSTRIS ACADEMIÆ LIPSIENSIS
Amplissimo Senatu Philosophico

obtinendo,

Ejusq; suffragio,

vice disputationis prioris,

P. P.

à

M. JOANNE FRIDERICO MAYERO,
S.Th.Baccalaureo.

D. VIII. Julii A. O. R. cIo Ioc LXXI.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOHANNIS WITTIGAU,



G. B. V.

TITULUS PRIMUS

DE REBUS PUBLICIS

LIBER PRIMUS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS


DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS

DE REBUS PUBLICIS





JESU FORTUNANTE. INGRESSUS.

Pontificis R. Superbia. Occasio hujus dissertationis. Veniæ
à B. Lectore petitio.



M Arcellus Episcopus Corcyrensis Sa-
crarum Ceremoniarum Lib. III. Sect.
I. cap. 2. inter fastuosa, Pontificiorum
Scholæ adprobata (quæ Philosophus
prima diceret) principia, istud
quoque ponit: **Pontifex Ro-**
manus nemini reveren-
tiam facit. Hoc nuper lecto, mentem meam hæc
subibant cogitationes, annon illud axioma, everteret &
proscriberet Romani Pontificis titulum **SERVI SERVORUM**? qui enim nemini facit reverentiam, (sic de suo
Pontifice scribit c. l. Marcellus) neque adsurgendo, neque
caput inclinando, quæ tamen inter favoris & amoris gene-
ra locum obtinent, qualia ab hoc expectanda servitia?
Inde consilium mihi de hac Pontificii tituli modestiâ, an
ludibrium sit, an verò ingenua humilitas, aliquid com-
mentari. Placebat materiæ raritas, (cum nullum vel ex
ipsis Pontificum Parasitis, quorum tamen res hic agitur, hu-
jus tituli accuratum præconem viderim,) quæ quoniam
A 2 diffi-

4 DE SERVO SERVORUM
difficultatem individuum habet comitem; minus accuratè
in hoc schediafmate dispositorum aut disqvifitorum certam
mihi à Benivoli Lectoris humanitate, promitto veniam.
Dominus autem Dominantium mihi servo suo Spiritum
libertatis & sapientiæ clementissimè largiatur. Fiat
mâ JESU fiat!

CAP. I.

Summa.

Servi Etymologia 1) an à servando dicti? duplex sententia. a) quod in bello servarentur sententia Pomponii, Florentini &c. 2) Lex Militaris captivorum mortem concedebat. 3) Notatur Grotius & Arnoldus Vinnius Jctus, 4) Adstipulatur hujus etymologiæ rationi Augustinus, Ludovicus Vives. 5) judicium de hujus notis in Augustinum. 6) Dion. Chrysofostomi locus expenditur. 7) Servi iidem ac mancipia. 8) b) quod domum servarent, opinio Casp. Barthii. 9) servare pro custodire usurpatum. 10) Festus servos à cervis; dies festus servorum quis? ex Seneca, Alexandro ab Alex. & Lipsio. 11) græcum vocabulum nonnulli volunt esse Servi nomen. Servi Homonymia, 12) vel Naturalis. 13) vel Legalis, tum jure gentium. 14) per captivitatem, & per nativitatem 15) tum jure Civili a) per venditionem quæ duplex, vel quando quis seipsum vendit, vel quando captivus venditur. Ceremonia triplex apud Romanos servos vendendi. Servi vanales in pectore titulum gerebant qui essent, discabant grammaticam, ut carius venderentur. Lambinus Lambino conciliatur 16) b) per pœnam ingratiitudinis. Perezius J. C. emendatur. 17) Et hæ servitutes perfectæ. 18) Servitus imperfecta quæ. Servi qui Senecæ, 19) descriptio Servorum, 20) Pictura Apellis Servi.

1 **S**ervi Nominis si primam originem in Scriptoribus
quærimus, non eadem penes omnes sententia est;
2 **Pomponii** L. 239. §. 1. ff. de V. S. illa sunt: *Servorum
adpellatio ex eo fluxit, quod Imperatores captivos vende-
re, ac per hoc servare nec occidere solent.* Junge §. 3. J.
de Jur. pers. & l. 4. §. 2. ff. de statu hominum. *Lege enim militari
Veteribus omnes captivos necare erat concessum.* Egregiè illustrat hoc
illud Virgilii:

At

SCHEDIASMA HISTORICUM.

At belli saltem captivam lege necasses.

Etiam Pyrrhus apud Senecam Troad.

Lex nulla capto parcat aut poenam impedit.

Et ille apud Virgilium X. Æneid. v. 525.

Per patrios manes, per spes surgentis Jūli,

Te precor, hanc animam serves natoq; Patriq;.

Horatius quoque Epistolar. Lib. I. ep. 16. ad Qvinctium:

Vendere cum possis captivum, occidere noli.

Et Donatus in Terentii Adelph: Act. 2. Sc. 1. ita scribit: *Servi dicti qui servati sunt, cum eos occidi oporteret jure belli, quod tō oporteret per liceret exponit magnus Grotius, quem de hāc militari consuetudine evolvas Lib. III. de Jure Belli & Pacis cap. IV. n. 10. seqq. p. m. 460. & in not. ad h. l. p. 466. ubi tamen obiter monendus es B. L. verba nonnulla hanc bellicam Legem probantia, adduci à Grotio ex Augustini Lib. I. de Civit. DEI cap. 2. quæ tamen in ipso Augustini textu planè non comparent, neque tamen falsa quoad cætera est citatio, ibi enim de refugiis debellatorum ad templa & statuas Deorum Deorumque S. Pater differit. Quodque in Grotio desideratum, sibi quoque dictum esse existimet Arnoldus Vinnius Juris olim Professor in Academia Lugdunensi, qui in Commentario ad §. 3. l. de Jur. Pers. p. 24. fidelissimè hunc locum (Augustino tributum) ex Grotio exscripsit. Subscribit interim huic Etymologiæ ipse Augustinus, cujus de Civitate DEI lib. XIX. cap. XV. p. m. 809. hæc sententia: *Nusquam Scripturarum legimus Servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaq; istud culpa meruit, non natura. Origo autem vocabuli Servorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui jure belli possint occidi, à victoribus cum servabantur, servi fiebant: à servando appellati, quod etiam ipsum sine peccati merito non est.* Adstipulatur Augustino Jo. Lud. Vives in Notis, (quas tam bonas esse ajunt, quam vinum potest esse Dominicum aut consulare, judice Philippo Caroli in Animadvers. Agellian. Lib. I. cap. I. Animadvers. IV. p. m. 5. Professore prius Altorffino, post Apostata, docente hoc magno & Incomparabili Arnoldo Prof. Noribergensi, Patrono & Præceptore meo sanctè æternum honorando, ex B. Ruperti notula marginali ad Animadvers. Carolinar. Animadvers. Lib. V. cap. 1. Anim. I. p. 280.) ad locum citatum p. m. 809. & Leonhard. Coqveus ad eundem Augustini locum*

3

4

5



p.m. 810. quemadmodum & ad Lib. III. cap. 19. p. 335. Et Dio Chryso-
stomus Orat. IX. citatus Coqveo, ex hac ipsa servatione servorum
originem realem revocat his in Latinum versis verbis:

- 6 *Nam qui primi facti sunt Servi, non verisimile est ex servis natos à*
principio, sed ex Latrociniis & bello captos atq; sic coactos esse servare ca-
7 *pientibus. Itaque ex horum Autorum mente non abit à servi signifi-*
catione mancipium, ab eo dictum, quod ab hostibus manu capiatur.
Quod non solum Florentinus in l. 4. §. 3. de stat. hominum, sed &
Justinianus §. 3. J. de Jur. Personarum adprobat. Servi ex eo ad-
8 *pellati quod Imperatores captivos vendere ac per hoc servare solent: qui*
etiam mancipia dicti sunt, eò quod ab hostibus manu capiuntur. Aliam
b *verò hujus originis rationem profert Celeberrimus Caspar Barthi-*
us Adversar. Commentar. lib. XVIII. cap. 9. p. 908. Servare limina
dictum ut Plauto in Aulularia domi servare. Unde sanè servos dictos
arbitror, veluti Dominis absentibus servantes aut alioqui supellectili ser-
vande velut affixos. Non verò à servando ex bellis, quod Juris Consul-
tis placet, cum inde minima pars servorum sit. Pluribus ob indigentiam
manui subditis quàm bello paratis. Si quidem penitas origines ri-
9 *uari malis quàm Romanas victorias, quibus ambitiosi homines nihil non*
deberi voluerunt. Sententiam Barthianam firmare videntur, quam
plurimi Authorum loci verbum servare cum præesse & custodire per-
mutantes. Sic in Eunuchò Terentius

Solus fannio servat domi,

Et Valerius Flaccus lib. VIII.

Servabo parumper

Ipsa nemus, longum interea tu pone laborem,

Et in veteri Inscriptione illa notissima:

Heic est sepulchrum hand pulchrum pulcræ fœminæ

Nomen parentis nominarunt Claudiam.

Sermone lepido, dum autem incessu commodo

Domum servavit, lanam fecit, Dixi, ABI.

- Et Cornelius Nepos in Cimone cap. 4. n. 1. p. m. 125. *Fuit*
tanta liberalitate cum compluribus locis prædia hortosq; haberet, ut nun-
10 *quam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia. Festus verò*
aliam hujus vocabuli etymologiam adferre studet ita scribens: Ser-
vorum dies festus (hunc diem festum exponat nobis Seneca Epist. 47.

SCHEDIASMA HISTORICUM.

7

p. m. 462. *Instituerunt diem festum, inquit, quo non solum cum servis Domini vescerentur, sed quo utiq³ honores illis in domo gerere, jus dicere permiserunt.* Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. III. cap. 19. p. m. 280. *Idus Augusti, servi & mancipia atq³ omnis famulatus festos observarunt, quod Servius Tullius ancillâ genitus in lucem tunc editus fuisset; quo tempore uxoribus caput lavare felix faustumq³ putabatur.* Adde etiam J. Lipsii Saturnal. lib. I. c. II.) *vulgò existimatur Idibus Augusti: quod eo die Servius Tullius natus servâ adem dedicaverit in Aventino, cujus tutela sint cervi, quorum celeritate fugitivos vocent servos.* Non-11
 nulli ex Græcia Servi arcessunt natales; Enimverò h. l. in re exigua non juvat esse tam prolixum, remitto B. L. de hâc posteriori etymologia ad Magni Scaligeri Conject. p. 85. Potius ad variam Servi 12
 acceptionem accedo, qui vel *Naturalis* Philosopho vel *Legalis* est, 1.
Politic. c. 3. & 4. p. m. 23. seqq. ed. P. Rami. Naturalis dicitur, qui præ mentis stupiditate ad familiam regendam ineptus; & ad ministeria exsequenda à naturâ magis instructus, quàm ad edenda consilia, qui nullâ aliâ re quàm laborum tolerantiam ac solertiâ clarus fit, cujus conditionis sunt gentes Moscoviticæ & Turcarum populi; Vide de hâc naturali servitute elegantissimum Busbeqvii Commentarium Epist. 3. *Legalis* quem Politicæ causæ servum fecere; lege 13
 autem Servi *dupliciter* fiunt *Gentium jure & jure Civili* (An hujusmodi Servitus juri naturæ consona sit? Vide quæ hinc inde Magnus Grotius disputat *Lib. II. de Jure Belli & Pacis c. V. §. 27. p. 1159. Lib. II. c. 22. §. II. p. m. 386. Lib. III. cap. VII. §. 1. p. m. 490. seqq.*) *Jure Gentium* bellorum conditione (a per *Captivitatem*. Sic Jagello Poloniae Rex Anno Christi 1430. in publicis decrevit Comitibus captum capientis Servum esse debere, vide Varmiensem Antistitem Martin. Cromerum L. 19. Hist. Polon. b) per *nativitatem* (ubi an partus ex Servis editus patrem an Matrem sequatur Conf. Grotium *Lib. II. de Jure Belli & Pacis cap. V. §. 29. & eundem lib. III. cap. VII. n. 5. p. m. 490.*) quando ex mancipiis liberi nascuntur. Vel fiunt *Jure Civili*, a) 15
venditione, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est §. 4. J. d. Jur. Perf. l. 5. §. 1. ff. de stat. Hom. quibus hæc pœna à legibus imposita, quod, quamvis ingenui fuerint nati, nihilominus ad libertatem proclamare nequeant: cum inæstimabilem libertatem iste homo, pretio, æstimabilem reddiderit.

DE SERVO SERVORUM

8
 derit. Vel *venditione* aliquis Servus fit, cum is cui per captivitatem servile jugum impositum, certa aliqua pecuniæ summâ alteri venditur: qui triplici ceremonia apud Romanos vendebantur, videlicet sub hasta, in coronâ & sub pileo, de quibus ita Wolff. Lazius Commentar. Reip. Rom. Lib. XII. c. 5. p. m. 902. *Constat enim servos triplici ceremonia venditos, videlicet sub hasta, in coronâ & sub pileo: Primo modo per auctiorem, ut alia omnia, quæ per Sectionem, expectando qui plura offerret. De quo ritu dictum à nobis est fusius libro hujus Oper. 2. cum de arario loqueremur: & lib. 8. cum arma Romana explicarem. Et sic intelligendus est locus Ciceronis de leg. Agraria: Num obscurum videtur prope hasta præconis insectari Cæsi Pompeji exercitum. Plautus in Mostell. Vel isti, qui trium nummorum causa subeunt sub hasta: id est, venduntur. Meminerunt hujus consuetudinis & Jure Cons. l. 2. de Orig. jur. Ita Salassios Alpinos sub hasta vendidisse, de seipso Cæsar in Comment. tradit. Quod Strabo pariter de Terentio Varrone animadvertit. Hunc verò morem à Lacedæmoniis tractum Plinius auctor est. Venio ad secundum ritum venditionis, quæ in vel sub coronâ fiebat. Qui Jure namq; belli capti erant, hi coronis insigniti prostabant. De quo Cæsar 3. Gallici belli: Itaq; omni Senatu necato, reliquos sub coronâ vendidit, ea pecunia in publicum redigitur. Et lib. 8. ejusdem: Pollia sententia fuit, puberes verberatos necari, conjuges liberosq; sub coronâ lege belli venire. Et rursus lib. 9. * Hi omnes sub jugum missi, sociis Samnitium nihil cautum, ad septem millia sub coronâ venire. Et hætenus de secundo ritu venditionis. Succedit tertius, qui erat, servos sub pileis vendere, quod fiebat, cum emptori venditor præstaret. Autore Celio Sabino Jurecons. Cujus rei causam esse ait, quod hujusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendendo deberent, ut emptores errare & capi non possent, neq; lex vendendi opperienda esset, sed oculis perciperent, quodnam esset mancipiorum genus. Atque Servi hi vanales, titulum qui qualesq; essent ex ædilitio edicto ad pectus gerebant, vide quæ J. Lipsius annotat ad Epist. XLVII. Senecæ n. 20. p. m. 461. Et ut carius venderentur Grammaticam, & similes artes docebantur, utq; Dominis essent utiliores. Hinc Terentius in Eunuch. de Chærea Servo, fac periculum in literis, fac in palæstra, fac in musicis &c. Vide Dionysium Lambinum in Not. ad Horatii Lib. II. Epistol. 2. ad Jul. Florum in versus hos:*

NB.

* quis ille liber 9. Iulii Cæsaris sic de Bello Gallico ego quidem ignoro. Constat sane VII. modo commentarios de hoc bello Cæsarem conscripisse, neque enim VIII. à Lazio citatus Cæsaris, sed Hirtii est. Vide præfat. Hirtii ad Balbum.

Si

'SCHEDIASMA HISTORICUM.'

*Si quis fortè velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis & tecum sic agat: hic &
Candidus & talos à vertice pucher ad imos
Fiet, eritq; tuus nummorum millibus octo
Verna ministeriis ad nutus aptus herileis
Literulis Græcis imbutus idoneus arti
Cuilibet & c.*

Cui tamen non contrariatur, quod ipse Lambinus ad Horatii Saty-
rar. Lib. II. Sat. VII. p. m. 185. scribat, *Servis non concessum fuisse au-
dire Philosophos*, respondet enim tam ipse Horatius l. c. Davum ita
loquentem inducens

- - manum stomachumq; teneto

Dum, quæ Crispini docuit me janitor edo,

quam ad hæc verba Lambinus: de Crispino Philosopho Sat. 3. lib. I. in
extr. *ne me Crispini serinia Lippi compilasse putes. Sed cur se à Crispi-
ni janitore edoctum esse dicit, non ab ipso Crispino? quia servis non lice-
bat cum ingenuis audire Philosophos, neq; ullos alios ingenuarum ar-
tium Magistros publicè profitentis; quæ igitur Davus à Crispino disce-
re non potuit, ab ejus janitore item Servo didicit.* Doctrinam ergò
publicam à privata in hoc negotio discernamus. Vel Civili jure 16
aliquis Servus fit ex pœna ingratitude, quando libertus contra Pa-
tronum ingratus extiterit, tunc namq; Patrono jus revocandæ li-
bertatis & universa promerita sua abrogandi, lege donatur l. 2. C. de
Libert. & eorum lib. quod Atheniensibus quoque legibus statutum
erat, Vid. Val. Max. Lib. II. cap. 6. n. 6. & Alexandr. ab Alexandro
Lib. III. genial. Dier. c. 20. ex quâ Autorum adductione Antonium
Perezium Prof. Juris Lovaniensem emenda, qui Commentario ad
dictum L. 2. Val. Maximum L. 2. c. 2. & Alexandrum Lib. I. c. 2. fal-
sò allegat. Alios servitutum imponendarum modos v.g. per senten-
tiam judicis, quando aliquibus loco supplicii ob delictum servitus
imponitur, lubens hic prætereo. In quæ omnia Servorum genera
jus vitæ & necis Domini possidebant; Vide Grotium de Jure Belli
& Pacis Lib. 2. cap. 5. §. 25. Horumq;ve officia ex parte Seneca Epist.
47. ità describit: *Non tanquam hominibus, sed illis tanquam jumentis
(de Servis loquitur) abutimur: quod cum ad cœnandum discubimus,
alius spuma detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius*

B

pre-

- pretiosas aves scindit: pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frustra excutit. Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causâ docet, quam qui necessitatis, discit. Alius vini minister in muliebrem modum ornatus, cum etate luctatur. Non potest effugere pueritiam, sed retrahitur, jamq; militari habitu glaber, destriectis pilis, aut penitus evulsis, totâ nocte pervigilat: quam inter ebrietatem Domini ac libidinem dividit, & in cubiculo vir, & in convivio puer est. Alius, cui Convivarum censura permissa est, perstat infelix, & exspectat, quos adulatio & intemperantia aut gulae aut linguae revocet in crastinum. Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est: qui sciunt, cujus rei illam sapor excitet, cujus delectet aspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit, quid jam ipsâ satietate fastidiat, quid illo die esuriant. Quorum
- 17 hominum servitus sub nomine perfectæ servitutis Grotio l. c. venit, cujus definitionem accuratam si desideras, adi Philosophum Lib. I. Polit. c. 3. & 4. Sed præter perfectam servitutem, de qua egimus, (loquor cum Grotio §. 30. l. c.) sunt & imperfectæ, ut quæ aut in diem
- 18 sint, aut sub conditione, aut ad res certas. Talis est libertorum, statu liberorum, nexorum, addictorum glebæ, septem * annorum servitus apud Hebræos, & altera ad Jubileum usq;: Senestarum apud Thessalos; eorum quos manus mortuas vocant, ac postremo mercenariorum. Atq; hæc non aliam servitutem Seneca agnoscit Chrysippeam Servi definitionem adprobans Lib. III. de Beneficiis cap. 32. p. m. 299. ed. Lips.
- 19 Servus (ut placet Chrysippo) perpetuus mercenarius est. Omnes autem Servi, ut hanc de Servis commentationem claudamus, in eo conveniunt, quod sint personæ, Domino alicui ministrantes, & humilioris à Domino conditionis, à quibus & reverentia, obedientia, humilitas, fidelitasq; requiritur. Quorum virtutes Apelles
- 20 sic delineavit, ut illis tribueret asininas aures (promptitudinem in audiendo mandato) nares porcinas (in olfaciendo herili commodo velocitatem) manus omni instrumentorum genere refertas (ad omnia subeunda opera promptissimam voluntatem) humeros patulos (ad onera sustinenda virtutem) macilentum ventrem (vitæ frugalitatem) pedes cervinos (corporis agilitatem) labia duobus seris obferata (animi fidelitatem). Atq;ve notatis his nullo Oedipodopus spero habebis B. Lector, quidnam Servus Servorum sit. Servus scili-

*rectius sex
annorum
Grotius di-
xisset.

scilicet infimus, abjectissimæque conditionis. Et tantum de Servis in Genere.

CAP. II.

Summa.

- 1) Servus Servorum quis primus? Chanaan. An Pontificis R. Antecessor.
- 2) Responso Ruperti & Cornelii à Lapide.
- 3) Damasus Papa an primus hujus tituli usurpator?
- 4) iudicium de Epistolis Pontificalibus, illas spurias & adulterinas esse ex Dav. Blondello, ostenditur, id etiam variis argumentis probatur.
- 5) demonstratur hanc Damasi epistolam supposititiam esse, ex subscriptione Coss. Stiliconis, cum decennio post mortem Damasi hic Stilico Consul factus fuerit.
- 6) Diaconus & Carriere Gregorium I. hujus nominis primum receptorem adfirmant.
- 7) narratur ex Carriere occasio hujus tituli.
- 8) distinguitur inter titulum & hujus à Pontifice usurpationem,
- 9) ostenditur ex Barthio olim Episcopos, Monachos & Antistites se vocasse servos servorum DEI.

Sed an Servorum servi extiterint dubitas Lector optime? Ingenuo, enim quis non animo promptiori, præstabit servitia quam servo? Ast Romani Pontifices hunc sibi vendicant titulum. Sic Gregorius Papa IX. in Decretal. Proœmio: *Gregorius Episcopus Servus Servorum DEI dilectis Filiis &c.* Inquiramus in primam hujus tituli originem. Sacra si consulamus oracula, hæc accipimus responsa. Gen. IX. Chanaano primum ex maledictione hoc epitheton fuisse tributum, qui debeat esse עֶבְרִי עֶבֶר servus servorum, quod inter summa imprecationum genera à Noe prolatum, vide Novarinum in Mose Expenso ad h. l. Joh. de la Haye Tom. I. p. m. 362. Bonfrerium ad c. l. D. Pareum Rivetum, aliosque hujus loci Interpretes. An jure hæreditatis verò à Chanaano hunc titulum acceperit Romanus Pontifex. Vide Magnum & Æternum Theologorum Lumen Schertzerum in Polemicis Schefflerianis tam in gründlichen Beweis pag. 57. quam daß sich Scheffler die Suppen ic. p. 29. Rupertus ergò Tuitiensis observat in hunc locum: (A. Riveti verba profero Exercit. LXIV. in Genes. p. m. 300.) *Non dixisse Noachum solùm SERVUS erit, quo nomine etiam interdum bona & voluntaria servitus solet significari, sed SERVUS SERVORUM, quo additamento servitus extrema, imò servilis*

vilis nequitia solet exprimi. Ne autem id Pontifici Romano præjudicaret, qui jam tum titulum illum assumpserat, addit, nisi, inquit, cum subjectione DEI, dum per egregiam humilitatem seipsum profiteretur quis SERVUM SERVORUM DEI. Et Lovaniensis Academiae Professor celeberrimus Cornelius à Lapide ad Gen. cap. IX. p. m. 135. Ridet Calvinus Papam, quod ex maledictione hac Cham, sumserit sibi titulum, SERVUS SERVORUM. Sed errat: non enim Papa absolute se vocat Servum Servorum, sed, ut rectè notat Rupert. cum addito, SERVUS SERVORUM DEI; idq; facit ex pia animi submissione: non ergò ex impio Cham hoc nomen sibi sumsit Pontifex. Descendamus ergò in Ruperti & Cornelii castra: largiamur Pontificibus, Servi Servorum DEI adpellationem, & ponderemus ex ex historia, quinam Pontificum primus hunc titulum adsumserit. Plurimi Pontificiorum, quibus recentissima, quandoque antiquissima esse solent, Damasum Papam hujus nominis primum receptorem adserunt, qui Anno post natum Christum 365. Pontificatum adeptus, & A. 384. 3. Id. Decembris Romæ mortuus fuit ex Onuphrii Panvini Veronensis fratris Eremitæ Augustiniani Pontificum Chronici computatione; (quæ Chronologia Platinae Pontificum vitis annexa. ed. Colonienf. Anno 1568. ed. Panvini) Probant hoc ex epistola quadam Pontificali, quam scripsisse perhibent Damasum Pontificem, cui hæc præposita inscriptio:

*Damasus Servus Servorum DEI, atq; per gratiã
ejus Episcopus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ
Urbis Romæ, Stephano Archiepiscopo Conci-
lio Mauritania & universis Episcopis
Africanæ Provinciæ.*

Lectis fraternitatis vestræ literis &c. &c. Enimvero quid de hac & omnibus Pontificalibus illis antiquis epistolis sentiendum sit, Magdeburgenses Pontificiorum filiis aperte exposuere. Et licet Franciscus Turrianus Lojolita stylum adversus hos stringeret, factum tamen id fuit cum veritatis maximo commodo, excepit enim
hujus

hujus aculeos virili animo in Pseudo-Isidoro & Turriano Vapulante David Blondellus Vir inter Criticos, Philologos & Historicos primas tenens, ad mensam Solis exponens, quod omnes hæ literæ Pontificum adulterinæ, spurix & supposititiæ sint; nec ullus Parasitorum Scholæ Pontificiæ ullam hæctenus paravit (quantum ego quidem scio) responsionem. Depromam ex multis, paucos admodum supposititii fœtus indices. 1.) in omnibus fermè Consules sub finem epistolæ falsò allegantur, ubi Eminentissimo Cardinali Baronio & reliquis Pontificiorum Chronicis non sine dedecore contradicitur: quod Blondellus ostendit Prolegom. c. 8. nec hoc argumentum solvere poterit Binius, qui in has epistolas annotationes scripsit; oleum & operam perdet. 2.) Utuntur hæ epistolæ e. gr. Clementis, Evaristi & aliorum seculi I. Pontificum (loquor jam cum Pontificiis) versione Hieronymi vulgata Patris seculi IV. ad quod Turrianus respondere non potest, etiamsi interpolationem recentioris alicujus admittat, quod eruditè demonstrat Blondellus cap. 9. 3.) Unus idemque stylus in his epistolis adhibitus unius auctoris has literas esse facilè prodit, de quo Blondellus cap. 10. 4.) Et ille quidem stylus barbarus ac solæcus est, qui dictioni puræ & eleganti Seculi I. II. & III. repugnat, sic Evaristus ep. 2. scribit: *Episcopi obediendi sunt non detrahendi, portandi sunt & amandi &c.* Callist. epist. 2. & Euseb. Ep. I. *nocere aliquem &c.* explicante hoc Blondello cap. XI. Prætereo alia manifesta indicia, quæ numero magno Vir Clarissimus cumulat. Ad præsentem epistolam, ex qua Patrocinium defensores hujus tituli vetustatis quæerunt, me accingo. Integram sanè hujus epistolæ auctoritatem dubiam reddit illius subscriptio ita se habens:

Data 8. Kalendas Novembr.

Flacio & Stilicone Viris

Clariss. Coss.

Numerantur hic Coss. Flavius & Stilico, quorum tamen consulatus nunquam sub Damasi tempora incidit Mariano Scoto, Cassiodoro & Greg. Haloandro testibus. Mortuus enim Damasus An. C. 382. Marcellino perhibente, vel certè si credamus Baronio & Onuphrio An. Chr. 384. Consulatum autem accepit bis Stilico, An. Christi 400. vice prima cum Flavio Aureliano & Ann. Domini 405.

B 3

cum

cum Anthemio, necesse ergò fuisset ut decennio (& quod excurrit) post mortem hanc scripserit Epistolam Damasus.

- 6 Imò nec opus est tam proluxa hujus epistolæ ex falso annorum numero refutatione; expressè huic contradicunt Scriptores nōnulli Pontificii, qui firmiter credunt & fatentur, Gregorium I. primum quoque fuisse, qui hunc SERVI SERVORUM DEI, titulum sibi attribuerit; Loquitur id Joannes Diaconus lib. II. vitæ Gregor. c. 1. & Franciscus Carriere Aptensis Minorita in Hist. Chronolog. Pontif. Romanor. p. m. 109. ed. secundæ, adducens infimul hujus tituli occasionem, licet acriter pro Monarchia Episcopi Romani dimicans, & enormiter ob id papissans; audiamus verò illum: *Anno Pontificatus 6. scribit: Corripit literis Joann. Patriarcham Constant. qui se Oecumenicum Patriarcham, seu universalis Ecclesiæ Episcopum scribebat; & Legatum Sedis Rom. Sabinianum ab ejus communicatione avertit, ne ejus videretur superbia favere; accipitur autem universalis Patriarcha à Joanne pro nomine singularitatis, per quod alii Episcopi subsint ei, ut filii & Vicarii, & non ut fratres, & in administratione collega; quo quidem sensu solus Christus est universale Ecclesiæ caput; ipsaq; Ecclesia universalis dicitur toto orbe diffusa, extra quam nulla potest esse Ecclesia; & eâ significatione negavit Gregorius ullum Rom. Pontificum illud sibi nomen assumpsisse. At verò alia est hujus nominis significatio, quâ universale dicitur, hoc est, quod remanentibus partibus integris ipsum supereminet cæteris? quæ ratione vetuit olim Pelagius, & modò Gregorius aliquem inter Patriarchas dici Oecumenicum. Hoc enim soli Romano convenit, & datum est ab œcumenicis Conciliis, cum id, quod verè ipse est, exprimitur, nempe qui ipsi cura Pastoralis universi gregis totius orbis concredita sit, quam cum semper ubiq; & in omnes exercuisse nemo nescit. Cur autem Gregorius abhorrerit ipsum nomen universalis Episcopi, ipse declarat, nempe quòd fastuosum nimis videretur, & Christianæ humilitati minimè congruens: unde ne mireris si se universalem dici negat, qui aliâ ad Imper. hoc eodem anno scriptâ Epistolâ negat etiam, se esse Sacerdotem, sicuti olim Paulus 1. Cor. 15. indignum se dixit vocari Apostolum: Ex humilitate ergò SERVUM se SERVORUM DEI appellare instituit, quod & successores hætenus fecerunt. Epistolam verò illam, quæ Joannis Constantinopolitani superbiam Gregorius castigat, referrem*

huc

huc libenter, cum erudita & pia sit, universalitatemque Ecclesiæ Romanæ videatur infringere, ast instituti ratio & chartæ angustia huic desiderio obicem ponit. Legere tamen potest eandem B. L. in Card. Baronii Tom. VIII. Annal. Ann. Christi 595. Gregorii Papæ 6. Mauriti Imp. 10. n. 39. seqq. p. m. 99.

Hic verò discrimen mihi videtur ponendum inter ipsum titulum, & inter hujus Tituli à Pontifice Maximo usurpationem. Titulum licet concedamus ante Gregorii tempora in usu fuisse, tamen Pontificium titulum fuisse videtur negandum. Docebit nos ex variis scriptoribus hoc Magnus Barthius Adversar. Lib. 29. cap. 10. p. 1373. ita scribens: *Marculfus Monachus*: Domino celebrando, ac Reverendissimo Papæ Landarico, Marculfus ultimus ac vilissimus omnium Monachorum. *DEI autem servum, seculi illius usitato titulo; qui deinceps eò descendit, ut Episcopi summae humilitatis gratiâ, Servos Servorum DEI se dicerent. Quem titulum primum inter Pontifices sibi adsumpsisse GREGORIUM I. notant Martinus Polonus & alii in Chronicis. Diedericus Episcopus Mentensis Servum Servorum Domini, Imperatorum amatorem, se vocat Epistolâ ad Carolum inter Gerberti XXXI. Desiderius vetustissimus Cadurcenus Episcopus Epist. IV. Domino Gloriosissimo atque piissimo, ubique præcelso sanctæ Ecclesiæ Filio Sigeberto Regi, Desiderius Servus Servorum DEI, atque per ejus gratiam Cadurcæ urbis Episcopus. Idem Epist. X. Epist. XII. Eligius Epist. VI. earum quæ Desiderio respondent, idem paulo aliter extulit Stephanus Presbyter Epist. ad Annarium: Patri Spirituali Annario Stephanus omnium Servorū Christi famulus. Et idem Barthius Lib. XLII. p. m. 1893. ita loquitur: Servus Servorum hodiè titulus datur Pontifici Maximo. Olim humilitatis affectatione quivis eum sibi sumebat Christianus Antistes. Paulinus noster: Quapropter ego Paulinus licet indignus peccator omniumque Servorum Domini ultimus servus Aquileiensis sedis Hesperii oris accinctæ; cui DEO auctore deservio, nomine non merito præsul. Anastasius Bibliothecarius:*

8

9

rius:

carissimus: Domino meo per omnia sanctissimo, DEO honorabili Patri Spirituali ac Magistro Theodosio Presbytero Anastasius Exiguus misericordiâ DEI Presbyter, & Monachus, Servus Servorum DEI.

CAP. III.

Summa.

- 1) Status Controversiæ formatur 2) quorum Servorum DEI servus sit Pontifex: Non hominum viatorum, 3) demonstrat id superbia erga Imperatorem, servitia Imperatoris, Pontifici exhibita 4) Contentio de nominis præpositione 5) Non hominum Electorum, in hoc enim ipsius Pontificis potestas. 6) Canonizatio, consistens ex 8. partibus. 7) Non Angelorum, major enim Angelis, imperat Angelis. 8) Nec Christi Servus est, Missam sedens celebrat. 9) Est ille unus Dominus Ephes. 4,5. 10) Deus ipse est. 11) ab ejus judicio ad DEI judicium appellare absurdum, quia in uno Consistorio Collegæ Deus & Papa. 12) Epilogus.

Non verò hic animus est de Gregorii I. intentione hunc titulum usurpantis, aut de ipsius tituli in se malitia bonitatevè aliquid commentari, ad aliud forû hæc pertinere videntur. Potius illa hîc ventilanda quæstio, quo jure hunc titulum sibi arroget Romanus Pontifex? Nullo mihi videtur. Paucis brevibusque exemplis Tibi B. Lector id demonstrabo. Servum Servorum DEI (adjiciamus DEI verbum ut Ruperto & Cornelio à Lapide satisfiat) se appellat: Ergo persona erit ministrans, persona servis DEI interveniens. Quos verò DEI servos dicimus? *Servi DEI sunt Creature.* Sunt a) Homines. Ast horum servum non esse Papam Romanum nemo non videt. Non dicam in præsentiarum de mediæ conditionis hominibus, hi enim vel Pontificio adpectu indigni; Homines in summis honorum cacuminibus constitutos in theatrum adducam; ut spectator sit B. Lector videatque qualia his Pontifex exhibeat servitia.

- 3) *Cæsares & Reges producam.* Liber I. Sacrar. Ceremoniarum Sectione V. cap. 3. refert, qua pompa Imperator Romam ingrediat, qua humanitate à Papa excipiatur. *In phano (inquit) supra gradibus basilicæ ante primam porticum ad dextram adscendentibus, eriguntur*

gitur suggestus ornatus cum throno Pontificali & sedibus Cardinalium, Prelatorum & Officialium. Supra quem suggestum Pontifex pluviali & mitra preciosis indutus adscendit cum ordinibus curie paulò ante quam Caesar appareat. Electus Imperator cum suis omnibus servato ordine ut equum descendit, per gradus adscendit suggestum. Et ut primum Pontificem videt, detecto capite illum genu tangens terram veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus sedis genu flectit, demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devotè osculatur. Pontifex hilari vultu Casarem adspiciens, ad osculum manus & oris recipit. Tum Caesar iterum genu flexus auri massam ad pedes Pontificis offert habetq; verba ad Pontificem gratias agens pro honore suscepto &c. Hoc si vocari debet servitium aut humilitas, non scio equidem quid dominatus aut superbia. Nam ne quidem maximus Regum Christianorum sic cum mancipiis agit vilissimis. Non his multò ab similia leguntur cap. 3. Sect. II. Lib. c. Cum Papa per scalam, quam superius diximus, adscendit equum, major Princeps, qui presens adest, etiamsi Rex esset, aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frænum aliquantulum. Si Imperator aut Rex soli essent, id est non esset alius Rex soli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero esset alius Rex, dignior à dextra, alius à sinistra frænum teneret. Et paulò post: Si verò Pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator aut quivis maximus Princeps adesset, in honorem Salvatoris Christi sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debent. Seqventi Sectione Imperator aut Rex dat Papæ aquam manibus, idque flexo genu: Primum ferculum infert mensæ: datur tamen hoc dignitati Imperiali, quod culinam non ingrediatur. Vide pluribus P. Molinæum de Monarchia Pontif. Temporalis pag. in 74. An hæc Pontificia humilitas? an hæc servum decent? Servus num unquam cum Domino de nominis ante vel postpositione contendet? facit tamen hoc Pontifex & servus esse vult. Vide epistolam elegantissimam hâc de re Friderici Imperat. ad Hadrianum II. Pont. ap. Jo. Baleum p. 218. in vitis Pontif.

Quid ergò ex his colligis Optime Lector? mecum sanè negabis, Hominum, tanquam servorum DEI, servum Pontificem minimè esse, & horum respectu injuria sibi hunc titulum arrogare. Ast ho-

C

mi-

minum electorum, sanctorumq; & in æterna vita viventium Dei fervorum servum Pontificem esse objicis? Tueantur causam meam ipsi Scriptores Pontificii, Marchantius in Horto Pastorum tract. 5. Lect. 3. p. 415. *Pontifex tanquam Christi Vicarius, etiam omnibus Sanctis ex ea parte censetur major, ut notant Canonistæ Abbas & alii. Hinc dicit Zerola Episcopus Minorensis, Papam non flectere genua ante aliquem Sanctum vel Sanctorum imagines, sed solum ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum & Crucem Domini, quæ adoranda sunt adoratione latræ: Dicitq; observatum fuisse à Viris doctis & piis, rituum observantissimis, quando Gregorius XIII. transtulit corpus D. Gregorii Nazianzeni à Monasterio Sanctimonialium Campi Martii, de Urbe ad suam Capellam Gregorianam, cum venisset ad presentiam corporis, non genu flexisse, sed amplexatum fuisse loculum, ubi sacra pignora adservabantur. In quo amplexu ostendit Majestatem cum charitate conjunctam, respectu illius S. Episcopi: Sicut cum venit nobilis aliqua persona ad domum Principis, ille ad demonstrandum Majestatem & charitatem amplectitur personam venientem.* Hæc Marchantius. Dominus itaq; potius Sanctorum erit Pontifex (vide quæ ex libri il Cardinalismo Part. I. pap. 97. præeunte Celeberrimo Wagenfeilio citavi in dissertationis meæ de Electione Pontificis Proæmio p. 4.) Sanctos facere potest, quem enim Pontificum canonizationes latent? quas 8. capitibus inclusit Angelus Rocca de canon. Sanctor. c. 38. quæ ita se habent: I. *mandatū, ut omnes credant talem esse beatū, II. ut invocari possit in publicis precibus, III. ut in nomē ejus ædificentur Ecclesiæ, IV. ut celebretur officium & Sacrificium Missæ in honorem ejus, V. ut dies festi ei consecrentur. VI. ut ejus imagines omnes venerentur, VII. ut reliquie eorum cultu religioso, adorentur. VIII. ut ad eas peregrinationes religiose fiant.* Si hæc beneficia Electis præstantur à Pontifice, necessarium certè est Pontificem Sanctis esse superiorem, hosq; ob hæc beneficia Pontificis æternos fieri servos. Neq; ergò & horum Dei fervorum, servus est Pontifex. Enimvero & Angeli Dei servi sunt inquis, horum forte servum se Pontifex adpellitat. Respondeat ad hanc objectiunculam Spiritus Papisticus: Aliud docent verba illa Concionis, cujusdam Monachi in Concilio Rhemensi Ann. 1131. habitæ coram Innocentio II. ap. Baronium Ann. 1131. n. 48. *Plus quàm Angelus hic (Pontificem intelligit) Cui enim Angelorum dixit ali-*

aliquando DEUS, quodcumq; ligaveris super terram. Præter Deum non est similis ei nec in caelo nec in terra. Solvat hunc nodum ipsa Bulla quædam Pontificia Clementis VII. quæ sibi in Angelos imperium adsumsit: Mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam à purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant. Judicium nunc feras Lector optime, an servorum Dei servus sit Pontifex Romanus? Et quare servorum DEI famulus esset Pontifex, qui non DEI ipsius servus, sed amicus ac familiaris sit. Christo non semper adsurgit Pontifex, sed sedens celebrat Missam referente Mornæo Mysterio Iniquitat. p. m. 27. Est ille unus Dominus; sic enim Franciscus Panigarula Læctio. advers. Heret. Part. I. Læct. 2. ad Pauli Ephes. IV. 5. εἰς κύριον. Unus Dominus: Quid hic dicitis Calvinista? verum est nobis agnoscendum esse Unum Dominum. Sed Dominum illum esse Deum aut Jesum Christum, ô miseri, quantum fallimini! quod Deum spectat, una igitur esset Ecclesia Christianorum, Judæorum & Turcarum: Si Christum dicatis, una igitur Ecclesia erit Arianorum, Macedonianorum, Manichæorum, Pelagianorum, vestra & nostra, quia omnes confitemur unum Christum. Ergo Papa est ille unus Dominus, de quo loquitur Paulus. Et Glossæ in Procem. Clementinar. probante Mosconio Lib. I. de Ecclesia Militante Part. I. c. 1. p. 22. citatus Jacobo Laurentii in Hugone Grotio Papizante p. m. 19. de hoc Papa servo, sequens judicium est: Papa stupor Mundi, non DEUS non homo sed utrumq;ve. Familiarem DEI optimi Maximi esse superius dixi, in uno enim Senatu & Papæ & Deus de rebus divinis fidissimè deliberant: ita ut absurdum sit, ab ejus judicio ad Dei judicium provocare. Docet nos hoc Augustinus Triumphus de Ancora quæst. VI. art. I: Cum adpellatio semper fiat à minori iudice ad superiorem, sicut nullus est major seipso, ita nulla adpellatio tenet facta & à Papa ad Deum, quia unum Consistorium est ipsius Papæ & ipsius Dei, cujus Consistorii claviger & ostiarius est ipse Papa. Nullus ergo potest appellare à Papa ad Deum. Atq; hunc de Ancona librum insignem Sanderus pronunciat lib. VII. de visib. Monarch. Vide pluribus A. Rivetum Castigat. Notar. in Epist. ad Balsac. cap. VII. p. m. 319. Tom. III. Op. Riv. Quid ergò erit hic titulus? Larva est sub quo latet

latet Dominus Dominantium. Claudam hoc Schediasma præ-
sens disticho Alex. à Turre Canonico Lateran. radio 24. Maresio
Lib. I. Antichr. revelati cap. 23. adducto.

*Servierant Tibi Roma olim Domini Dominorum,
Servorum Servi nunc Tibi sunt Domini.*

TANTUM.

COROLLARIA.

Parentibus jus vitæ & necis in liberos jure est ademtum.
Rectè Scaligero Lib. de poet. cap. III. Monasticum ge-
nus monstrosus dicitur.

Christiani à gentilibus Athei ob id primariò dicti, quòd
unum & non plures crederent Deos.

Origenem, Adamantium dictum credo, non ob labo-
rum tolerantiam, quemadmodum Basilius ob constantiam
Magnus. sed ex familiæ cognomine.

Idem de Q. Sept. Florent. Tertulliano sit judicium; non
enim hunc Tertulliani nomen ob styli Tulliani imitatio-
nem, quasi Ter Tullii loqueretur, accepisse existimo.

Symbolum Apostolicum ab Apostolis esse conscriptum
ipsi Pontificii ex propriis principiis certi non sunt. Nec
& ab Apostolis compositum.

DOMINO DOMINANTIUM DEO OPT. MAX.
SIT LAUS ET GLORIA PER INFINITA
SECULA!



kon

m. l.

